



56

D. O. M. A.  
DISPUTATIO II.  
Centuriæ Quintæ

QUÆSTIONUM  
ILLUSTRIMUM

Philosophicarum,  
*In Inclytâ Wittebergensi Academiâ  
Publicè*

Proposita  
PRÆSIDE

M. Jacobo Martini

Logices Profess. Publ.  
RESPONDENTE

Theodoro Bergman /  
Hildesiâ - Saxone,

*Ad diem 14. Maij in auditorio Collegij  
veteris.*

WITTEBERGÆ,  
*Typis Martini Henckelij Anno  
M. DC. VIII.*



V I R I S

CLARISSIMO,

*Reverendis, Pietate, Doctrina, virtuteq;  
praestantissimis,*

**Dn. ALBERTO ECHARTO,**  
*SS. Theolog. D. eximio, Ecclesia Hildeshei-  
mensis Superattendenti vigilantissimo,*

**ALBERTO MENCIO, Seniori ad  
D. Lamberti,**

**Dn. M. DAVIDI URSINO, ad D. Georgi,  
HENNINGO DISIO, ad D. Pauli,**  
*Concionatoribus eloquentissimis, Pastoribus vigilantiss.  
Fautoribus suis & promotoribus certissimis.*

S P.

**M**ittere me sacris deprompta oracula rivis,  
Vestra Sacerdotes magni persona, sacrumq;  
Experit officium; nec enim haec indigna petitu  
Res: Nam debentur sacris sacra, vana profanis.

Sed nil tentandum est vires quod vincit: cetera  
Abdita Theologiae quisquis mysteria sacra  
Scribere conatur, si non prius ille sagaci  
Imbiberit Sophiae dulcissima flumina mente.  
Et recte infantes nutrimur lacte prius, quam  
Vescamur solidis porcino e corpore pernis.

K. V. R. R.


*reverenter colens*

*Theodorus Bergman Hilde-  
sia-Saxo qua Autor qua  
Respond.*



Q U Æ S T I O I.

An definitiones causales, partiales & accidentales sint potius descriptiones quam definitiones?



Questiōnem ꝛ hanc ex decem hisce en primò omnium contemplandam & examinandam in scenam producimus, quippe quæ in scena hac nostra Philosophica primò omnium spectetur non indigna. Quis sic? quæris? Annon cuiuscunq; Tractationis scena cardoꝝ omnis in definitione consistit? Aristot. 8. Top. c. 3. S. 4. Annon ἐξ ὀρισμῶν ἀναλεκτίον? Aristot. 3. Met. c. 8. Annon ἀρχὴ ἀποδείξεως

ὀρισμῶς? 1. de Anima tex. II. Annon ἐκαστὸν ἡμεῖς ὀρίζομεν ἀπὸ τῶν ὀρισμῶν: 2. Met. c. 3. Et quid multa? Definitio artis q. caput cor & pes, anchorarum omnium firmissima. Scal. Exerc. 301. S. I. Sine definitionibus enim certis quod firmum ac stabile futurum sit, constitui nihil potest. Bodin. lib. 3. de Rep. c. 3. Adde si placet & Platonem in Phædro. Aristot. 2. post. c. 14. Scegkium 3. Top. p. 11 § 9. Piccol. lib. de Mundo c. 2. de rerum definit. c. 9. Zabar. libr. de med. demonstr. c. 5. Scalig. 1. de plantis p. 210. & 3. de re Poet. c. 30. Meritòne igitur primo loco contemplanda?

Verùm ꝛ definitionum factio non una, sed plures: Est enim alia nominis, alia rei, & hæc quidem vel perfecta vel imperfecta, quarum illa proprie definitio, hæc potius descriptio (Scholastici definitionem descriptivam; Damascenus c. 8. Dial. ὀρισμὸν ὑπογεγραμμένον; Galenus ἐνομαστικὸν ὀρισμὸν vocat) Logicis vocatur. A Philippo quatuor definitionum rei formæ recensentur: Essentialis, Causalis, Collecta ex coacervatione partium, & Collecta ex coacervatione accidentium, quibus & illas,

A 2 que apud





exteriori, seu, quæ generi addit causam efficientem & finalem. e. g. Homo est animal à Deo ad imaginem ipsius creatum, Scholasticus est persona ordinata à Deo, ut discat linguas, artes & mores utiles ad Ecclesiam & Reipubl. conservationem. At causæ externæ non sunt de essentia rei, cura illius constitutionem non ingredientur, uti quidem internæ; sed extra illius essentiam manent, unde & externæ dicuntur. Avicenn. 5. metaph. c. 4. Omnis enim efficiens est extra rem necessario. Scalig. exer. 6. sect. 1. Et nullus finis ingreditur (ut ita loquar) essentiam rationem. Scal. Exer. 307. Sect. 27. Unde & res effecta, efficiente causa remota; item si ve finis sequatur si ve non, essentiam suam habere retinere potest. 2. De definitione Partiali probatur idem hoc modo: Partialis definitio est oratio, recitans partes vel omnes, vel præcipuas ejus rei, quæ declaratur: ut Philosophia est cognitio artium dicendi, Mathematicum, Physicæ & doctrinæ de moribus, quæ acie humana mentis intelligi & judicari potest. Philip. lib. 1. Dial. p. 95. At verò partes, & quidem integrales, non sunt ipsa tota rei essentia, sed tantum altera pars totius compositi, nempe materia, quæ suâ tum præsentia, tum quantitate dicuntur integrare. At qui cognitâ materiâ non statim cognoscitur ipsa rei essentia, nisi etiam forma totius compositi perspecta habeatur, quam dum partes integrales non explanent, non potest non definitio ex partibus integralibus conflata ex verarum definitionum censu excludi; harum quippe officium est potissimam rei partem, quæ forma est, explicare & ob oculos ponere. Arist. 6. Top. c. 6. 3. Probamus minorem postremo de definitione Accidentali: Hæc enim est oratio, quæ rei naturam ex accidentibus colligit & describit, ex ejusmodi sc. accidentium collectione, quæ rem ab omnibus alijs rebus distinguere faciunt, ut Terra est elementum frigidum & siccum, gravitate sua omnibus alijs antecellens, unde & in centro constituitur. Quis verò accidentia rei, ipsam rei essentiam dicere unquam ausus est? Nullum quippe accidens quit esse de alicujus subjecti essentia. Zabar lib. 1. de nat. log. c. 11. En habes jam cum confirmatione minoris probationem questionis affirmativæ in genere.

II In specie ¶ confirmatur eadem: Primo de partiali ista hunc in modum; ¶

I Partitio rei non est definitio rei & quidem essentialis.

At definitio partialis (uti vocant) est partitio rei.

Ergo non est ipsa rei definitio.

Major quia sua luce lucet abunde, lucem illi nunc non fœnerabimur? Quem enim latet Divisionem seu Partitionem & Definitionem diversissima Logica instrumenta esse? Minor patet ex definitione partitionis: Partitio enim definitur oratio, quæ rei partes enumerat. At definitio partialis rei partes

A 3

enumerat.

enumerat. Ergo partitio, & non vera perfecta q̄ definitio erit.

2 Quaecunq̄ definitio rem ignotam per æquè ignota describit, illa non est vera definitio.

At definitio partialis rem ignotam per æquè ignota describit. Ergo. Majorem quippe verissimam negabit nemo: Siquidem definitio ad hoc inventa est, ut per illam in rei ignota essentiam naturam & quidditatem deducamur Zab. lib. 3. de Method. c. 13. Minor probatur inde, quod partes non re ipsa, sed ratione saltem à toto differant: Ergo si quis totum ignorat, ille etiam omnes partes ignorabit, unde principii ejusmodi definitionibus peti apparet liquido liquidius. Atqui & illud liquido apparet, inquis, partes quoq̄ essentielles non re ipsa differre à toto: Ergo & in essentiali definitione principij petitio erit? Verùm in nodo hoc dissolvendo nobis nõ op̄ gladio e-vaginato, uti quidem Alexandro M. in disruptione nodi Gordij: Nam res quæ per genus differentiamq̄ definitur, non ita definitur ut strictè ipsam saltem materiam denotet Genus, aut Formam differentia. Id enim si ita esset, tum genus & definitio de finito suo prædicari in recto non posset; nulla quippe pars eo modo de toto suo prædicatur. Verùm genus & differentia ad materiam & formam analogiam quandam obtinent, ita ut genus rem totam, sed principaliter secundum materiale explicet: Eandem rem totam, sed potissimum secundum formam denotet differentia.

7 Deinde † de Accidentali ita:

1 Omnis definitio vera & legitima rem quid sit explicat.

Hic a. definiendi modus, accidentalis nimirum, non quid sit, sed qualis res sit, explicat.

E. vera definitionis species esse nequit.

Major est ipsius Aristotelis 2. post. cont. 44. & in eundem Zabarel.

Minor constat inde, quod Accidentia non in quid, sed in quale de subjecto prædicentur.

2 Proprium descriptionis nequit esse proprium definitionis:

Atqui descriptionis proprium est rem per sua accidentia, seu illa quæ sunt extrinseca essentia, notificare.

Ergo non potest esse proprium definitionis.

Major manifesta; eò quod proprium unius non possit esse proprium alterius; nemo enim proprium appellat id, quod potest alij inesse. Arist. 1. Top. c. 4. § 5. Minor verò; Quia descriptio definitur quod sit ratio, quæ definitum seu rem explicat genere & accidentibus, vel effectis proprijs. At nec hæc, nec illa, ipsa rei essentia. Quare definitiones hæc omnes quibus cum nobis res hætenus fuit.



fuit, ad descriptionem tam diu relegamus, donec vera & legitima definitio-  
nis vestimento induta, digna, quae in scenam perfecta definitionis admissa  
spectentur, censeri possint.

## Q U A E S T I O . II.

### Quomodo definitiones sese habeant ad demonstra- strationem.

Haut † ambigimus, si unum definitionis genus, illud etiam unâ & eâdem  
fronte demonstrationem respicere, eodem modo se ad illam habere, modoq; æ-  
quali erga illam affectum esse: Verum quia multiplex, uti jam modò ex quæsti-  
one precedente apparet, idè multiplex quoq; definitionum ad demonstra-  
tionem  $\sigma\chi\omega\iota\varsigma$ . At nec tamen ita multiplex, quin multiplicitas hac vo-  
cari quoq; possit triplicitas: Etenim ut triplex apud Aristotelem, ejusq; secta-  
tores interpretesq; definitionum genus: ita & triplex harum ad demonstra-  
tionem  $\sigma\chi\omega\iota\varsigma$  & respectus. Est enim definitio alia, quæ & quod res  
sit, & cur sit eadem, demonstrat & explicat, cujus generis sunt: Tonitrus est  
sonus in nube propter extinctionem ignis: Eclipsis est privatio luminis in  
Luna ob terræ interpositionem: Defrondescere τὸ Φολλοσπόμεν est amissio  
foliorum in arbore latifolia, propter concretionem humoris. Alia planè im-  
mediata ac prima est, demonstrariq; per causam se priorem nequit, ut: Eclipsis  
est interpositio terræ: Tonitrus est extinctio ignis in nube. Alia deniq; est defi-  
nitio, quæ rem quidem esse monstrat, sed quam ob rem sit eadem minime de-  
monstrat, causam tamen, per quam demonstretur, habere potest aliunde. v.g.  
Eclipsis est privatio luminis Lunæ; Tonitrus est sonitus in nube.

Prius † definitionum genus est Aristoteli perfecta accidentis definitio; &  
ipsamet demonstratio, solo terminorum situ ab ipsa demonstratione discrepans;  
ex ysdem enim tribus terminis demonstratio accidentis, & ejusdem defini-  
tio construitur. Nam Genus, quod dat formam accidentis, est in demonstra-  
tione majus extremum, Subjectum siue materia est minus extremum, Cau-  
sa verò est medius terminus. Zabarel. lib. 4. de Meth. c. 14. Ut sumatur per-  
fecta Tonitru definitio superius allata hæc: Tonitrus est sonus in nube pro-  
pter extinctionem ignis: demonstratio inde facta in prima figura, nec enim in  
secunda vel tertia figura, hic quidem ob particularem, illic verò ob negantem  
conclusionem fieri demonstratio potest. Arist. lib. 1. post. Anal. c. 11) erit  
ejusmodi: Ubi est extinctio ignis, ibi est sonus: In nube extinguatur ignis.  
Ergo in nube fit sonus.

Medium

- 3 Medium † definitionum genus, quod traditur per solam causam, quodq; improprie definitio dicitur, cum potius propter quid, quam quid res sit dicat ad demonstrationem refertur non alia ratione, quam ut ejus principium, principium, verò quia demonstrationis medium est. Themistius ad Contex. 46. lib. 2. post. Zabarel. lib. 4. de Meth. c. 14.
- 4 Posterius † verò genus, quod ab Arist. in Cont. 44. lib. 2. post. quia essentiam ab externa causa pendente proferens sine expressione causæ, non bene ipsam essentiam declarat, nominale vocatur, quodq; formam & materiam sine causa, per quam demonstrari potest, continet, conclusio demonstrationis est, & vocatur ita expresse ab Aristotele in Cont. 46. 2. lib. post. Atque hi posteriores duo definitionum modi, sunt definitiones accidentis imperfectæ, quas si jungis, & integram demonstrationem habebis, & definitionem accidentis perfectam. In quæ enim resolvi quid, ex illis etiam componi potest: Ex eisdem enim res constat actu, in quæ dissolvitur. Zab. de mist. c. 2. Atqui perfecta accidentis definitio in duas imperfectas resolvi quit. Ergo. Zabarel. lib. 4. de Meth. c. 14. Avenroes in comment. 64. 1. lib. post.

### Q U Æ S T I O, III.

#### An res aliæ præter Deum verè agant.

- 1 Tam † debilitatum quosdam cerebrum habuisse scribit Avenroes 9. Metaphys. com. 9. ut in productione effectus causas secundas, licet quidem agere aliquid videantur, nihil tamen, sed solum Deum in ipsis immediate operari omnia, statuerint. Ceterum uti nihil tam impium, tamq; absurdum menti sese insinuare nostræ potest, quod non aliqua, vel in speciem saltem probabili confirmari queat ratione: ita nec hæc suis caret applausoribus opinio, immò nec suis destituta videtur fundamentis. Ita enim Gabriel Biel in 4. sent. d. 2. q. 1. & 3. posse quidem, ait, res creatas dici causas efficientes sine quibus non, propterea quod de lege ordinaria Deus statuerit non agere in rebus naturalibus, nisi ad earum præsentiam: at dici causas verè efficientes non posse: Fundamenta pro hac opinione sunt: 1. Si Deus est causa operationum naturalium omnium, non poterunt eadem adscribi agentibus secundarijs: Quia enim effectum unum producet a causis pluribus diversis? Atqui Deus omnium operationum naturalium causa est. Ergo. 2. Si creare nulli creaturæ convenit, propriumq; Dei est esse creatorē, nihil quicquid aget creaturæ: At creatio Dei proprium est. Ergo. Major stat: Actio namq; creaturæ  
aut

aut subjectum aliquod præsupponit, aut nullum: Si nullum, quis creatio-  
nem esse negabit? Si aliquod, saltem tamen forma, seu novum esse in subjecto  
productum creatio erit; hæc enim nec ex parte subjecti, nec ex parte sua pro-  
ducitur. 3. Creatura non potest agere nisi ut instrumentum primæ causæ,  
ab hac enim illa pendet in omnibus. At non agit ut instrumentum, siquidem  
Deus non per instrumentum, sed immediate agit. Creaturæ igitur actio  
nulla. 4. Nulla inquam: Si enim effectum non potest producere alium,  
præter illum, ad quem producendum à Deo erat ordinata, quem illi effectum  
adscribemus? At producere alium nequit; esset enim hac ratione res una  
ex natura sua productiva effectuum contrariorum, At à τὸ πῶν hoc.  
Ergo. 5. Atque ipsa etiam sacræ literæ huic suffragari videntur opinioni,  
sic enim Esaias cap. 26. v. 15. Omnia opera operatus es in nobis Do-  
mine, Et Paulus, Qui operatur inquit omnia in omnibus 1. Cor.  
12. v. 6.

Verum + & absurditatum plurimarum mater, & infirmis superstru- 2  
ta est fundamentis absurda isthæc opinio. Cupis probatū: dabimus utrumque:  
Prius illud, absurditatem nimirum, hoc discursu generali: Quæ opinio rerū  
creatarū virtutes, verā Philosophandi rationē, actionū distinctionē, rerū na-  
turaliū resistantiā, liberū arbitriūque meritūque poenāque, negat, tollit, evertit;  
illa absurda: At hoc ipsum facit opinio isthæc. Ergo. Minor multimembris  
probatum ordine, & 1. quidem, quod rerum creatarū virtutes neget: Labet  
querere; Anne Deus rebus naturalibus quibus vii propriam suam dederit  
formam? Affirmes necesse est. Querimus porro, Anne, qui dat formam,  
det etiam consequentia ipsam formam, h. e. actiones, virtutes, operationes?  
Tritissimum hoc in Scholis Philosophantium: Sicut enim materiæ passionēs;  
ita formæ propriæ debentur operationes Arist. 1. de gener. t. 55. & 2. tex.  
53. est enim actus 2. de anim. c. 1. cont. 2. atque hinc est quod ignem natu-  
raliter calefacere, aquam refrigerare, solem illuminare, virtute sua in hæc  
inferiora agere & sentiamus, & hisce nostris videamus oculis: cæci illi si  
non videant, plus quam cæci si non sentiant. At licet nec sentirent, nec vi-  
derent: negare tamen, uti faciunt, non deberent: sic enim & hebetudini sen-  
suum, & lippitudini oculorum aliquid condonaremus; at nunc nihil. 2. Ve-  
ram Philosophandi rationem à medio tollit, naturasque rerum indagandi:  
Nam si virtus rei alicujus naturalis, puta aquæ vis frigefaciendi, aëris hu-  
mectandi, ignis & solis calefaciendi, nihil est aliud, quam Dei virtus, quid o-  
perosa inductione, quæ ignem & solem calefacere, aërem humectare, aquam  
frigefacere & c. demonstratur, opus? Et tamen hoc ipsum arte tenent, ac-  
B curateque

turateque defendunt Philosophi, atque id quidem jure. Annon enim si de Deo  
 demonstrare hæc conarentur, aberrarent quandoque, cum Deus ad præsen-  
 tiam ignis non calefacere modo: Sed & humectare possit? 3. Actionum  
 vitalium & non vitalium distinctionem evertit: Homo namque quia princi-  
 pium actionis in se habet, ambulare, saltare, pugnare proprie dicitur, ligneus  
 homunculus artificiosè ad hæc fabrefactus minus proprie, quod si Deo so-  
 lum omnis, nec homini quædam adscribenda actio, quid inter homunculum  
 ligneum, & hominem verum pugnantem, saltantem, ambulantes, edentes, bi-  
 bentes, discriminis? 4. Resistentiam in rebus negat: Taurus enim cum  
 leone congregiens, quomodo contra hunc, & hic contra illum ageret, si crea-  
 turæ non agerent, nonne potius Deus in tauro & leone contra semetipsum?  
 hæc hoc, 5. Sed & liberum arbitrium hoc ipso tolleretur, si  
 quidem non amplius ageret, sed ageretur homo; quorsum verò legumla-  
 torum in condendis legibus labores, si homo nec bene, nec malè agere posset?  
 frustrane igitur bene agentibus præmia, malè verò agentibus pœnæ propo-  
 nuntur? Ita est secundum illam quidem assertionem; nec enim homo ma-  
 gis, quàm Deus in homine, vel bene vel malè ageret. Deum verò malè agere  
 et quid dicendum? immò ne cogitandum quidem: Non enim Deus valens  
 iniquitatem tu es. Psal. 55.

3 Absurditatem & opinionis absurdae paucis demonstra vimus; funda-  
 mentorum quibus nititur fragilitas & imbecillitas licet cuiusvis forte per-  
 spectæ, ita ut demonstratione minimè esset opus, promissi tamen memores lu-  
 bet ostendere eam planius, plenius, & uberius, opus supererogationis factu-  
 ri. Ac primi quidem debilitas inde patet, quod ordinis ejusdem, & diversæ  
 diversorum ordinum causa pro iisdem habitæ, inque unum locum confusæ  
 sint, nec attentum isthic fuerit, Deum alio, alioque modo creaturam ad actio-  
 nem concurrere, illum ut independentem, hanc verò ut dependentem, vul-  
 gariter itaque & Laconicè dicimus: Subordinata non pugnant. Alterum  
 fundamentum concidit, quòd nulla in eo firma partium coherentia, quis enim  
 concedit creaturæ actionem statim creationem esse? Creatio enim ecquid ex  
 præexistente materia? Formæ verò seu qualitates licet non fiant ex subje-  
 cto, ut ex parte sua, nec ex parte sua prius in subiecto existente, fiunt tamen  
 à subiecto, dependenter, unde, quia naturâ suâ existere per se nequeunt, nec cre-  
 antur proprie. Fundamentum tertium unica applicatâ distinctione tolle-  
 mus, dicentes, Deum agere vel immediatione tantum virtutis, vel tantum  
 immediatione suppositi, vel utraq; immediatione simul, & virtutis & sup-  
 positi, utitur enim creaturis quandoque tanquam instrumentis. Licet igitur  
 utraq; quandoque immediatione, & virtutis & suppositi simul, absque  
 creatu-

creatura agat Deus: in iis tamen actionibus ad quas creatura una concurrat, immediate quidem etiam agit, immediatione nimirum virtutis; at non agit immediate immediatione suppositi. Quarti infirmitas patet inde, quod non ex mera Dei voluntate profectum sit, ut hac res naturaliter hujus, illa illius effectus sit efficiens, puta ignis caloris, ussionis, aqua frigoris; sed ex ipsarum rerum natura.

At ignem quandoque non ussisse ais? Distinguiamus igitur inter actionem naturalem & supernaturalem. Etsi enim creaturis ad actiones, quae vires earum naturales superant, utatur aliquando Deus: derogari tamen ipsis haut quaquam vires operationesque naturales posse, persuasum nobis certissime.

Ergone, ais creaturas seu causas secundas in se & a se ad effectus productionem concurrere statuis? Minimè verò, sed quatenus certas divinitus sibi communicatas habent agendi vires. Deum namque actionum naturalium primariam, secundariam verò causam creaturas dicimus. Si enim nihil omnino operarentur creaturae, anne penitus frustraneae? ad quid enim creatae si propria suo destituerentur sine? at hoc non sine impotentia cujusdam creantis Dei coargutione.

Sed majus videtur inquis, si Deus solus, quam si cum creatura ad effectum aliquem producendum concurrat? Erras. Nonne enim magnificentius, & divinè bonitate dignius, si non solum ipse agere, sed & rebus a se creatis ejusmodi communicare vires, quibus & ipsae in alias veram efficientiam habere, aliasque modo efficere suo possint? Atque hinc est quod scriptura S. creaturas non solum agere, sed & vim agendi naturalem, quae divinè nonnunquam impediri potestate possit, habere asserat, unde ignis virtutis oblitus esse suae dicitur. Sap. 16. vers. 18. Sed quid ad scripturae loca pro negativa supra allata? Rectè mones, serè enim, quia ex jam dictis cuiusvis illorum perspecta solutio, silentio ea praeterissemus; ne igitur nihil ad illa respondisse videamur, breviter te ita exigente respondemus, sensum illorum non esse alium, nisi quod nullum omnino sit opus verum, quod Deo non sit praecipue tribuendum. Plura hac de re, si cupis, videbis apud Avenroem 9. Metaph. Comment. 7. & lib. 12. Comment. 18. Albert. 2. lib. Phys. Tract. 2. c. 3. D. Thom. 1. p. q. 105. art. 5. & lib. 2. Sent. d. 1. q. 1. art. 4. lib. 3. contra gentes cap. 69. nos ad alia.

#### Q U A E S T I O. IV.

Num res creata sive finita aliquid possit  
creare sive ex nihilo producere.

B 2

Non

Non t̄ causam causarum primam universalissimamq̄, DEum solum  
opt. ter Max, sed & secundas, seu res creatas, in productione effectus  
revera aliquid agere, postquam tibi jam demonstrassemus, probassemus,  
confirmatumq̄ dedissemus, in gratiam sanè præcipitem te existi errorem,  
existimans causas secundas creationis negotium expedire etiam posse. Ad  
reddendam verò tui si ve erroris, si ve opinionis, dubitationis ve tuæ ratio-  
nem provocatus, magis mutus nobis quàm piscis. Nos certè stultum ju-  
dicavimus semper absq̄ ratione dubitare, immò sentit̄ digna dubitatio ejus  
modi, cui nulla comes ratio. Sed heus noli tamen te à nostro subducere  
aspectu, non enim possumus, quæ nostra liberalitas est, quin à nobis discedas  
doctior, nec interest si tu sortè indoctior, nam

Nemo adeò indoctus qui non addiscere possit,  
Si modo doctori patientem commodet aurem.

2 Age t̄ verò sublevemus prius ignorantiam tuam & autoritate &  
rationibus Avicennæ. Autoritate inquam; idem namq̄ in eadem jam an-  
te fuit hæresi, & sortè etiam periculosiori: non modò enim is causas secun-  
das creare, sed & non nisi unum à Deo natura necessitate creare immediatè  
potuisse, (primam nimirum intelligentiam, hanc enim & materiam & for-  
mam primi mobilis, aliamq̄ sui generis infra se intelligentiam; hanc verò  
materiam & formam secundi mobilis, & tertiam intelligentiam; hanc quar-  
tam, & ita deinceps, usq̄ ad intelligentiam sphaeræ lunaris motricem;  
hanc aliam hujus mundi sublunaris gubernatricem, generabilium & corru-  
ptibilium creatricem, datricemq̄ formarum substantialium creasse) arbitra-  
tus est, Avicenna 1. sufficientiæ cap. 10. tract. 9. Metaph. cap. 4.

3 Rationibus t̄ verò, creandi potentiam intelligentiis inesse, probavit  
sequentibus: 1. Quicquid conceditur naturæ imperfectiori, illud denegandum  
non est perfectiori; huic enim vires & évépydai & præstantiores  
& validiores. Atqui creatura materialis facit sibi similem. Ergo &  
immaterialis sibi similem, immaterialem nimirum, creando producet. Quod  
si immaterialem creare potis, quidni etiam materiales? Siquidem has, quia  
naturæ illis inferioris, tantas in creando vires non exposcere in proclivi  
est. 2. Quod si deinde nec repugnat viribus & conditioni creaturæ, produ-  
cere aliquid, quidni creare possit? Minimè verò repugnare illud indicio est,  
quod creatura si ve materialis ea sit, si ve immaterialis, finitam naturæ per-  
fectionem habeat. At finito non nisi infinitum contrarium, inter finitum n.  
& finitum convenit pulcherrimè. Cum igitur ex rei faciendæ metiri neces-  
sum sit ratione agentis virtutem, quidni creare creatura posset? Simile enim  
pro-

producere consuevit sibi simile. Hæc quidem palmaria sanè quibus usus fuit  
Avicenna, sed sine palma, quã per hæc nõ abstulit sed reliquit potius, ægerri-  
ma enim ipsi, quas pro affirmatiua adducit, si penitiꝝ inspiciãtur rationes.

En ð quales contra nos apposituri sumus; Videbis certè in recessu ha-  
rum, creaturam ne quidem ut instrumentum, ne dum ut agens principale  
creare posse. Diuortium enim hic faciemus à sententiarum Magistro 4.  
Sent. d. 5. & defensore ipsius Durando in d. 1. q. 4. qui Deum creandi com-  
municare virtutem creaturæ posse existimant, non quidem ut principa-  
liter creet, sed ut ministra. Vanam hanc esse opinionem patebit paulò post.

Non ð posse a. creare res creatas, hæc iubent rationes 1. Effectus uniuersa-  
lissimus soli & unice causæ uniuersali & principi tribuendus est. Atqui  
dare esse, quod fit in creatione, est effectus uniuersalissimus. Ergo uniuersa-  
li quoq; causæ adscribendus. Major constat inde, quod semper effectus uni-  
uersales ad causas uniuersales reducere oporteat, nec immeritò, siquidem  
illis tam proprii sunt, ac filius patri suo, matriq;. Minor uerò liquet; Quia  
esse nunquam datur per se primò ab efficiente, nisi in creatione, 2. Crea-  
tio requirit virtutem infinitam. At nullius creaturæ virtus infinita,  
esset enim aliàs & essentia ipsius infinite perfecta; quod quia absurdum, ab-  
surdum & illud, quod creare possit. Majoris e uidentia patet; Quò enim  
quid remotius est ab actu, eò in agente exposcit perfectionem maiorem. Id  
uero ex quo res creatur, tam ab actu est remotum, ut omnem, quæcumq;  
quidem excogitari potest, distantiam excedat, nec enim inter nihil & ali-  
quid finiti ad infinitum, uel qualiscumq; proportio Zab. lib. 1. de mot. grav.  
& leu. c. 10. Et igitur ex nihilo aliquid fiat, perfectione virtutis infini-  
tæ opus est. At in nihilo nulla, inquis, resistentia, ut igitur ex illo aliquid  
fiat uirtute infinita haut opus. At opus omnino: Infinitam enim hic deside-  
ramus uirtutem, non propter patientis resistentiam, siue illa finita sit, siue  
infinita, sed propter distantiam, quæ est inter nihil & actum, immò & po-  
tentiam; ea enim tanta est, ut ne cogitando quidem metiri eam ualeamus,  
id est, infinita.

Atq; ð hæc sunt rationes pro eo, quod creare creatura non possit ut agens  
principale. Quod nec ut ministra, siue instrumentum, suadent sequentes:  
1. Quicquid pro instrumento ad efficiendum aliquid assumitur, ut aliquam  
ueram & propriè dictam in ipsa effectione operationem, siue propriã, siue  
agentis principalis uirtute, habeat necesse est. Instrumentum namq; cum  
propter aliquid sit, tanquam propter finem, ipsius ea debet esse natura, ut ad  
illum finem assequendum utile sit, amotã enim utilitate haut expetendum.

Zab. lib. 1. de Nat. Log. c. 10. *At in creatione rei cuius q̄ omnis denega-  
tur creaturae operatio, siquidem. 1. Omnis creaturae operatio præsup-  
ponit subiectum, creantis nullum. Est enim creatio constitutio substantiæ ex  
nihilò, ex nihilò inquam, ut est terminus, non ut est materia, ait subtilitatum  
Magister Scal. Exerc. 6. Sect. 12. 2. Quia nullius instrumenti virtus  
infinita; dari enim actus virtutem creatam infinitam impossibile est.*

2. *Si creaturae alicujus opera Deus in creationis ministerio uti posset, nul-  
lum certe omnino opus ita esset Deo proprium, ut creaturae communicari  
non posset. At posterius hoc absolum, & divinâ excellentiâ indignum,  
Ergo & prius illud. Majoris sequela firmatur inde, quod duo tantum sint  
actionum, quas per creaturas Deus efficit, genera: quasdam enim non nisi  
per creaturas, quasdam & per se, & per creatura operatur. Quod si &  
creationem ad duo hæc genera re-vocaremus, quæ quæso relinqueretur a-  
ctio Dei propria, siccine creatura & creantis Dei fieret adæquatio? Quod  
quia incon-veniens, ita Dei proprium creare dicimus, ut nullam creaturam  
nedum ut instrumentum ad hoc concurrere statuamus. Et hanc sententiam  
Augustini firmamus auctoritate, sic enim ille: Nullam, inquit, creaturam  
creare posse quippiam, seu magnum seu parvum. Creare ullam creaturâ tam  
nullus potest angelus, quàm nec seipsum. August. lib. in Genes. ad litt. c. 15.*

7 *Sed † quod ægerrimas supra dicebamus Avicennæ rationes, id fortè  
demonstratum nunc cupis? Suscipimus hunc laborem non ægrè. Ægra verò  
prima ipsius ratio, quod existimet, quâdo creaturae corporales sibi simile pro-  
ducunt, statim id creationē esse, probandam hoc erat, & non pro hypothese as-  
sumendum. Non verò esse, patet inde, quod ex præsupposita materia produ-  
cat, quam tamen creatio respuit. Atq; hæc quoq; vera est ratio, quapropter  
creatura spirituales non possint facere sibi similes; cum enim potentiæ fini-  
tae sint, ex nihilò producere aliquid nequeunt. Ægra quoq; sequens est ratio,  
eò quod dicat, ex sola rei faciendæ materiâ oportere facientis virtutem, falsum  
hoc, siquidem in modo faciendi hæc omnis difficultas, hic enim, quoniam infi-  
nitam, ut dictum, exposcat virtutem, supra vires certè creaturae finitæ est.*

8 *Quid † verò ad illorum respondebimus opinionem, qui quando Gen.  
1. vers. 26. dicitur, Faciamus hominem ad imaginem nostram, & similitu-  
dinem nostram, Deum cum Angelis locutum esse somniant; si cum angelis,  
utiq; & creaturae creatores erunt, de creatione enim ibi sermo? Supra mo-  
dum illos sapere respondemus: Insipiens verò sapientia omnis, cui non adest  
modus. Lips. ep. 64. Cent. 2. Immo infelix semper erro, qui à sapientiæ me-  
ta aberrat. Idem ep. 10. Aberrant autem, quia angelos in creationis venis-  
se socie-*



se societatem errant, nec venisse, nec venire jam ante rationibus aliquot probavimus. Deinde hominem ad angelorum imaginem conditum esse hoc ipso statuunt. Aimus igitur tenebras his esse circa visum Faciamus, quam non recta, sed vel per conspicienda, vel per transennam introspicunt, luce igitur appositam tenebras remouebimus, & rem intimam inspiciendi copia ipsis erit. Lux autem est, Quod verbo plurali Faciamus Sacros. & indiuiduae Trinitatis mysterium, pluralitasque personarum in diuinitate denotetur, significaturque omnibus tribus personis opus creationis, ut & omnia opera ad extra, commune esse. Sed hæc forsitan non ad palatum Antitrinitariorum, sed ad nostram certe quam maxime.

## Q U Æ S T I O V.

*Vtrum mundus solo generali concursu Dei perpetuo durare possit?*

De mundo <sup>†</sup> an tempore caperit aliquo, an vero ab aeterno fuerit, & an eius futurus sit interitus, varia ac discrepantia fuerunt olim Philosophorum tradita; tribus inclusis classibus nos ea tibi jam offeremus, quarum prima eorum complectitur sententiam, qui mundum & capisse, & corruptioni obnoxium esse statuerunt, quorum e numero fuit antiquissimus ille Ægyptiorum Philosophus Hermes Trismegistus, ejusque sectator Thales Milesius. Altera eorum, qui mundum non negarunt capisse quidem, at interitui obnoxium negarunt unice; hoc opinantes, fuisse Poetæ veteres, Orpheus, Hesiodus, Plato & c. Tertia vero eorum, qui mundum nec genitum neque interiturum, sed simpliciter aeternum censuerunt, id quod cum Aristotele sensit, Proclus, Plinius, Simplicius, Averroes compluresque alii. Nos qui sub Christi militamus vexillo, quoniam mundum & creatum, & finem quandoque habiturum, Scripturæ sacrae duce, firmiter & credimus, & credere tenemur, ideo non hanc, sed tamen quam proximè huic conjunctam satagemus excutere questionem, contemplaturi utrum mundus solo generali concursu Dei durare perpetuo possit?

Affirmatiuam <sup>†</sup> veram esse statuimus, eamque sequentibus probamus rationibus: 1. Partibus omnibus manentibus saluis & incorruptis, etiã totum incorruptum saluumque manere necesse est. At partes mundi saluæ & incolumes permant

permanent omnes. Ergo & totus mundus. Major firmissima inde, quæ  
omne totum partibus suis ordinetur, mensuretur & determinetur, &  
quod positis partibus integrantibus omnibus, ponatur totum. Arist. 3. Top.  
c. 1. nec enim partes integrantes re distinguuntur à toto, sed sunt idem quod  
illud. Zabar. de Nat. Scient. Constit. c. 16. Minor probatur 1. de corpo-  
ribus cælestibus: hæc enim cum natura sua corruptionis sint expertia, quip-  
pe quibus nihil contrarium, Arist. 1. de cæl. c. 3. quomodo quæso redigi in  
nihilum poterunt? De motu cæli, an perpetuus esse valeat, dubitas forsan  
adhuc? hic certè quoniam ab intelligentijs, quæ delassari nulla ratione pos-  
sunt, cietur, non potest non perpetuus & perennis esse. 2. Probatur  
quoq; minor de sublunaribus: Hæc annon eivæ suum ex materia &  
forma habent? annon ex elementis quatuor? Materia autem & forma ec-  
quid corruptibilia? Immo æterna: illa propterea, quia uti non naturaliter,  
sed per creationem esse capit: ita nec naturæ vi ulla, sed à Deo solo con-  
cursum denegante in nihilum redigi valet; res enim quæ vis quo modo capit,  
ita & esse desinit, unde est, quod Aristoteles materiam æternam esse statuit,  
lib. 1. Phys. c. 5. t. 42. quod respectu generationis plena (ut inquit)  
largimur manu. Ista verò (formam intellige) propterea æterna est, quia  
materia prima nunquam est privata forma substantiali, existere enim sine  
forma nequit. Zabar. de prim. rer. mat. l. 2. c. 5. Tam arcto quippe inter  
se forma & materia devinciuntur in rebus naturalibus vinculo, ut altera  
sine altera esse nequeat. Scal. ex. 5. s. 1. Atqui materiam probavimus, uti  
vides, incorruptibilem æternamq;. Æterna igitur & forma. Forma enim  
materiam suam non deserit priusquam in locum suum substituerit aliam:  
unâ enim recedente accedit alia. Magir. lib. 1. Phys. c. 5. Unius quippe  
corruptio alterius generatio est. Arist. 1. de ortu & inter. t. 7. Est in-  
quam, quia agens naturâ nunquam fertur per se in interium rei. Colleg.  
Conimbr. in lib. 1. de Cælo q. 1. art. 2.

3 At † Elementa forsan corruptibilia affirmas? at non affirmes modo,  
sed & probes & confirmes necesse est, quo verò argumento? nullo: uni-  
versa enim naturæ vires tantas nos non credimus, ut quaternarium ele-  
mentorum imminuere numerum valeant. Immo valeant, concedamus e-  
nim hoc, Ergone igitur concedet naturæ viribus Deus, ut elementorum  
aliquod aboleat, ut universi ordinem turbet, ejusq; perfectionem ornatumq;  
tam insigni detrimento imminuat? Immo prohibere, ne ante totalem mun-  
di deflagrationem aliquid detrimenti patiatur ornatu universi, providen-  
tiæ divinae munus est proprium; nec enim vel Syderum, vel aliarum cau-  
saru

*farum Physicarum, sed Dei solius potentia deflagraturum esse mundum  
Sacra docent littera. 1. Thes. 5. v. 2. 2. Pet. 3. v. 10.*

*Proh DEum † atq; hominum fidem quid audio, inquis, omnia in mundo a- 4  
berna esse, experientia hoc plus quam contrarium? Quam multa in istis in-  
venire videmus cotidie, tam animata quam inanimata, tam homines quam besti-  
as? & ubi, quae so te, divinus ille Plato, acutissimus ille Aristoteles, eloquen-  
tissimus ille Hortensius, justissimus ille Aristides, magnanimus Alexander,  
& velox ipsius Bucephalus, ubi Simson ille fortissimus, annon interiere  
jamdudum omnes? Taces? Consentire videris; licet enim qui tacet non fa-  
teatur, verum tamen est eum non negare. Qui tacet 142. de R. I. eru-  
bescis? Salva res est. Interiisse igitur fateris; ex materia & forma, ex  
elementis constituisse non negas, interiisse igitur & haec in illis, concedere ne-  
cesse habes, ac proinde tuam in fumum & cinerem abire vides rerum o-  
mnium perpetuitatem.*

*Quid † hic dicemus, qui lupum infima, quod ajunt aure tenere videmur? 5  
Sed heus mi belle vir belle jam habet, nimis tu effuse jam gaudes, quasi jam  
totam nunc causam cecidissimus, nimis cito triumphum ante victoriam canis;  
distinguere enim non videmus adhuc, inter totum & partes, inter particulare  
& universale: singulatim sumpta corpora in nihilum redigi, alia quidem ex  
toto, ut mista, alia ex parte, puto elementa, largimur manu utraq; & largimur  
quidem prolixè, & libenter: Sed specie aut genere interire eadem, hoc est quod  
negamus constanter; siquidem hac ratione duratio ipsorum perpetua. Et licet ele-  
menta quatuor in se in vicem agant & patiantur, unde detrimenti & incomodi  
aliquid à se mutuo contrahere videntur: reciproca tamen vicissitudine ex par-  
te alia id ipsum resarciunt & compensant, atq; ita dum mori videntur (lice-  
at nos uti verbis Philonis Iudaei, quae habet in lib. de mundi incorrup.)  
redduntur immortalia, qua de re plura Conimbricenses lib. 4. Ph. c. 5.  
q. 3. a. 3. & Plato in Timæo.*

*Finem † nunc, hisce ita positis, questioni huic imponere animus qui- 6  
dem erat, verum, quia quibusdam minus rectè haec à nobis posita viden-  
tur, priusquam ad alia progrediamur, illorum objectiones excipiemus, quid-  
ve veri falsive includant indicabimus. Diximus mundum natura sua re-  
lictum, eo tantum concursu, quo nunc à Deo conservatur, durare posse in per-  
petuum: id ipsum illi sequentibus impugnant rationibus: 1. A conditione finis:  
Finis semper respondere debet principio, siquidem mutuae sibi sunt causae. A-  
rist. 2. Phys. 3. & 5. Metap. 2.*

*At ante conditum mundum nihil prater Deum extitit: Ergo nec in fine  
ejusdem*

C

*eiusdem rerum creatarum supererit quidquam : res siquidem creatæ ut ab se esse non habent : ita ex se tendunt in non esse. Proinde nisi majori aliquo, quam communi & ordinario, seruentur influxu, ne tandem ruant in nihilum, omnino verendum est. 2. Arguantur porrò : Mundus constat ex contrarijs : At quod ex contrarijs constat ecquid constans & durabile? Siquidem agunt & patiuntur contraria ab se in vicem. Arist. lib. 1. de gener. & corrupt. tex. 51. Zabar. lib. 1. de Qualitat. element. c. 5. At contrariorum unum si vincat, necesse est corrumpatur alterum Arist. 1. Phys. c. 9. lib. 13. Met. c. 4. Philip. lib. 4. Dial. p. 85. Quomodo igitur æternum durare mundus potest. 3. Quid? quod, quemadmodum generationes & corruptiones se habent versus partem anteriorem, ita sese quoque versus partem posteriorem habeant. Versus anteriorem verò partem æternæ esse non possunt, cum infinitum in natura haut detur actus. Arist. 3. Phys. c. 5. tex. 40. 41. Quare nec versus partem posteriorem, siquidem eadem hæc quæ illic præsto incommoda. 4. Quinimò videmus parentes semper se imbecilliores minoris quæ staturæ progenerare liberos, teste etiam Poeta : nam*

*Grandiæque effossis mirabitur ossa sepulchris.*

*At si posteri se quoque imbecilliores procreent, nonne necessario genus humanum obnoxium interitui? Aut quomodo tandem in quantumvis parva quantitate conseruari, aut ab interitu vindicari poterit? nonne futurum tandem tempus in quo nulla hominum futura propagatio? Mūdum proinde abs quæ peculiari Dei influxu durare in perpetuum non posse, hinc tam clarum, atque lucidum, quam solis iubar meridianum.*

7 *Verum quæquamvis quidem speciosa valde hæc sint & numero satis multa; nullius tamen ea ponderis, unius quæ esse farine patebit in progressu. Videamus enim argumenta ea ordine: 1. In hoc negamus majorem; Licet enim rectè dextreque intellecta vera sit; hic tamen tueri locum minime potest. Nec enim, quia ante mundi creationem nihil præterquam Deus solus extitit, ut nihil præter Deum maneat, rectè infertur; Quin potius, quemadmodum à Deo mundum creari conveniens fuit, ut bonitas, potentia, sapientia in rebus creatis eluceret: ita perpetuo illum durare posse eandem ob rationem consentaneum est. Vides igitur in hoc argumento σόφισμα παρὰ τὸ ἐπὶ λέγον. Sed premissam fortius per instantiam; Quod ante mundi exordium non fuit, id nec post finem illius futurum. At tu Sempronii, qui ita argutaris, ante conditum mundum non fuisti. Er-*

go nec futurus post illius interitum, Ergo nec vitæ æternæ futurus hæ-  
 res. Si futurus, cave sis ne in posterum ita argueris, Ad 2. respon-  
 demus limitando majorem ita: Quodcumq; constat ex contrarijs, ita ut  
 contraria permixta in vicem in se agant & patiuntur, id esse perpetu-  
 um nequit: At ejusmodi contrariorum permixtione constant mixta, quæ  
 & dissolvi, & interitum subire, concedimus & concessimus supra ultro; Se-  
 cus tamē se res habet cum universo mundo; Sphæra enim sublunaris quam-  
 vis ex Elementis, quæ contrariarum qualitatum pugna in vicem agunt  
 & patiuntur, constat; quia tamen hæc mutatio tantum in parte mini-  
 ma, quæ resarci & compensari potest facillimè, accidit, possunt omnino  
 esse perpetua. Ad 3. negando in perpetuitate generationum & cor-  
 ruptionum versus partem anteriorem, & in eadem versus partem poste-  
 riorem utrinq; idem esse juris, siquidem si quamlibet generationem præ-  
 cederet materia ad recipiendam formam dispositio; generationes verò  
 statuerentur esse ab æterno; annon æterno aliquid daretur prius?  
 At ἀπορον hoc. Quod tamen in sempiternitate generationum  
 versus partem posteriorem verendum minus. 4. Quartum  
 hoc argumentum ipsi experientiæ notam inurit: Annon enim parentes  
 qui liberos se proceriores progenere, vixi nobis? Quin & si omnes se  
 minoris staturæ liberos procrearent, (donabimus enim hoc jam  
 adversario) ecquid hoc ipso pericula, quæ interitum & amissionem to-  
 tius alicujus minuentur speciei, præcavere & antevertere vellet? sanè  
 posset.

## Q U Æ S T I O V I.

*An cœlestes orbes, vel corpora sint ani-  
mata?*

Præclare † & divinè admodum divinus ille in Metamorphosi  
 sua:

Pronaq; cum spectent animalia cætera terram,  
 Os homini sublime dedit, cœlumq; videre  
 Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.  
 Iussit, ais, sed quis iussit? Deus ille Deorum.

C 2

Præ

Primo omnium in quaestione hujus tractatione hoc ipsum menti insinuat se nos, quod si tibi pro exordio non satisfacit, repetere poteris illud quod in initio quaestione 7 dispu. 1. Cent. 4. posuimus, aut si magis Lipsij illud addere, quod habet Cent 2. ep. 8. Nihil, inquit, homini tam proprium, quam erigi & spectare alta, id est, quae ad aetheream partem pertinent. Aut etiam Scaligeri illud: Sapientes, ait ille, caelo propiores agitant, minimè populares. Exerc. 6. Sect. 12. Nos potius absq; longiori exordio directe vultum (ut cum Poeta loquamur) ad Sydera tollemus, caelum intuebimur, & an caelestes orbis animati sint, contemplari incipiemus. Tu, si quae in contemplando caecutiamus, hebetioris ve alyis visus tibi esse videmur, indices quaeso. Certè quantum nobis adhuc quidem videre licuit, videntur omnino inanimi, & videntur certè propter sequentes rationes.

2. 1. Omne corpus animatum organicum esse videmus: Atqui caelum videmus organis carens. Animatum igitur esse nequit. Major indubie veritatis nititur autoritate Aristotelis, ἢ ψυχὴν inquit ἢ ἐστὶν ἐν τελέχεια σώματος φυσικῆς ὀργανικῆς. 2 de An. c. 1. t. 7. Minor em ipsa experientia firmat; Quidni enim organa, si quae in caelo essent, visu, quippe sensu omnium spiritualissimo, perciperentur? At inquis, sol et quid caeli oculis? Poli ecquid ipsi aures? Sed plus quam Poeticè hoc, ne dicam ridiculè & stultè. Et certè si organa cuiq; corpori natura dedit convenientia & proportionata, minori minora, majori majora, probè quanta ipsius caeli corporis vastissimi & capacissimi? 2. Videmus deinde nullam formam materiei sociari frustra, sed semper finis alicujus, boniq; obtinendi gratia: At nobis diu multumq; contemplantibus non occurrit bonum illud, cuius gratia caelo tribuè anima debeat. Eò usq; igitur donec hoc ipsum videamus, caeleste corpus nobis erit inanimatum. Major illustratur eò, quod materia semper sit propter formam Arist. 1. Phys. ausc. Sic e. g. anima unitur corpori ut rerum materia immersarum cognitionem per sensus hauriat. Minor verò: Quia si caelo anima, esset illa ipsi, aut propter functiones vegetatricum facultatum, aut propter operationes sensuum, aut intellectiois ergo, aut ob motum localem. At non ob hunc; quia ad ciendum motum non in informatione, sed appulsu virtutis, quae res mota à motore attingatur opus. Non ob istam; intellectio enim per sensus. Non ob illam; quia caelum sentiendi organis destitutum. Non deniq; propter facultatum vegetatricum functiones; nutritio enim, accretio, generatio & corruptio duntaxat corporibus interitui obnoxys necessaria. Ergo. Quodcumq; à se non movetur, illud inanimatum. Atqui caelum per se & à se non move-

moventur, hoc enim si esset, quem in usum data ipsi motrices intelligentiæ?  
Hæc verò quia non frustra, sed ut moveant, cælum inanimum.

4. Cernimus animam viventis in qualibet ejus parte. At qui cæli partes omnes anima non informatas scimus, siquidem multo contractius breviusque spatium illud quod ab intelligentia occupatur, quam cælestis sphaeræ magnitudo. Inanimum igitur. 5. Inanimum dico, quia si anima prædita esset, hæc quidem ratione prædita esset, anne cælum vel beatitudine fruatur, vel supplicio æterno afficiendum? aut enim peccando penas, aut recte agendo præmia mereretur. At hæc impia & absurda. Ergo & illud. 5. Inanimum quoque viderunt cælum viri non de plebe, sed majorum gentium tam Theologi quam Philosophi. Sic enim Damascenus lib. 2. de Fid. Orth. c. 6. Nullus, inquit, cælos aut Sydera animata esse existimet, animam quippe ac sensu carent, & D. Augustinus, licet antea de animatione mundi scripserit, & cælestium corporum vitam asseruerit, retractans tamen hæc, scribit in lib. de duab. anim. c. 4. Muscam propterea quod vivat, sole nobiliorem esse. Videatur D. Thomas 1. part. quæst. 70. art. 3. Bonaventura in 2. dist. 14. q. 2. num. 30. Præceptor noster Aristoteles motorem cælestis orbis cum orbe suo consociari contactu virtutis ait: At unio formæ cum materia, seu animæ cum corpore, non est unio per contactum, sed alterius generis. Ergo & ille cælum inanimum sensit.

Cæterum ꝑ aberrasse nos in contemplando, ajunt illi, qui corpora cælestia animata esse censent. Ajunt enim 1. Pars semper ejus de natura est cum toto. Atqui totum mundus nimirum est animatus: Ergo & pars, cælum videlicet, animatum sit necesse est. Minorem veram esse volunt, eò quod, sicut mundi partes, puta animantia, stirpium herbarumque genera vivunt, totum quoque vitam præditum esse, consentaneum sit, hoc enim partibus suis nunquam est conditionis deterius. 2. In gubernatore optimo & perfecto danda est anima, & quidem ejusmodi, quæ sit rationis & intelligentiæ particeps. Atqui cælum est gubernator, dux & conservator mundi hujus sublunaris. Arist. 1. Meteor. c. 2. Animatum igitur.

3. Ratiocinantur porro; Cælestia corpora sunt propinquiora intelligentiis ad recipiendam earum actionem, motusque velocitatem; Ergo & ipsarum natura sunt propinquiora. Quod enim mentibus cælestibus ad earum actionem recipiendum est vicinius, est etiam secundum naturam propinquius. Quare si intelligentiis, utique & orbibus cælestibus vita insit necesse est, hoc

animi, ad universi hujus decorum, coherentiamque mutuum spectare, immo necessarium esse videtur.

4. Addunt: Quod in genere mobilium primum est, ciet motum sui ipsius. At cælum est in genere mobilium prius. Prius enim id, quod per se est, eò quod est, per aliud. Arist. 8. Phys. c. 5. t. 34. Movet ergo seipsum. Movere autem se ipsum non posset, nisi & animatum. 5. Atque hoc Aristotelem quoque sensisse ajunt, quando cælum animatum esse, motusque principium in se habere asserit. lib. 2. de cæl. c. 2. t. 13. 6. Immo & scripturas sacras pro se citant, Psalmo enim 136. v. 6. dicitur, Qui fecit cælos in intellectu, id est, intellectu præditos. & Ecclesiaste 1. v. 5. In circuitu pergit spiritus, & in circulos suos revertitur: Ubi cum anima assistens intelligi nequeat, relinquitur anima informans: cui interpretationi etiam D. Hieronymus calculum addere videtur, quando Poeta illud citat:

Spiritus intus alit, rotamque infusa per artus  
Mens agitat molem.

4 Cælum igitur his animatum videtur; nobis verò vel omnino per positas illas rationes nondum persuadetur. Fidem quod prima illorum arguti-  
oni adhibere non possumus, rationes sunt. Nam 1. non distinguunt circa  
maiorē inter totum quod continuatione, & totum quod aggregatione to-  
tum est. 2. Deinde & minorem falsam pro vera obtrudere nobis  
conantur. Duntaxat enim partes quædam mundi animâ donatæ sunt, hinc  
tamen non necessarium totum mundum animatum dicere, siquidem totum  
per aggregationem partibus dissimilium naturarum virtutum ac non  
virtutum speciebus constare non est absurdum. 2. In secundo argumen-  
to commiscetur id, quod est per se, cum eo, quod est per aliud: non enim con-  
cedendum ad-versario cælum propriâ & absolutâ vi regere sublunaria; Im-  
perium enim quod habet in has sublunaris mundi regiones, numquid motri-  
ci suæ intelligentiæ acceptum ferat necesse est? In totum sanè. 3. In ter-  
tio, quia consequentia valde infirma, non est quoque quod huic fidem adhibea-  
mus. Cælestes orbis motibus suis intelligentijs, quàm reliqua sub Lunæ  
conca-vo quæ continentur, propinquiores esse largè damus, sed quid porro?  
Ergo eandem inquis & inferis cum intelligentijs naturæ & dignitatem &  
præstantiam obtinent. Argute admodum: Indusium meum corpori est pro-  
pinquius quam pallium: Ergo eandem cum corpore naturam communicat.  
Corpus verò animatum. Ergo & indusium. Risum teneatis amici. 4. Quar-  
tum argumentum ferè eodem modo concidit quo secundum: Cælum enim con-  
junctum cum motrice sua intelligentia, & animatum, & se moveri quid ni  
con-



concederemus ; sed ab intelligentia abjuncto, & per se considerato ut corpori Physico denegamus utrumq; 5. Et hoc pacto locus Aristotelicus acceptus, calum nimirum conjunctum cum motrice sua, uti sanè accipi debet, quid ipsis inde patrocinij? nihil sanè. 6. Immò nec citata scripturæ loca ipsis quidquam ferunt suppetiarum ; Prioris enim sensus est, Deum in intellectu, id est, divina sui intellectus sapientia celos condidisse, seu : Deum cælestia corpora ita procreasse tam concinnum ordinem, tantam perfectionem constantiam & proportionem eorum indidisse motibus, ac si ea intellectu prædita fecisset. In Posteriori verò per spiritum non anima cæli, sed sol potius intelligitur, eam ob rationem spiritus dictus, non quod vivifico spiritu informet, aut in se ipso vivat ; Sed quod rebus subunaribus vitam quasi largiri & inspirare videatur, notatione ducta ab effectu. D. verò Hieronymus cum Poeta per spiritum, Dei potentiam omnia moventem, gubernantem & conservantem intelligere voluit, & rectè.

## Q U Æ S T I O, VII.

### An ipsum lumen videatur ?

Et hæc ꝑ quoq; merito præcedentem insequitur quæstio ; Lumen enim ecquid à stellis ? De Sole & Luna res manifestissima. Utraq; autem hæc anne cum stellis reliquis essentielles & sensibiles cæli partes ? Affirmamus cum divino nostro præceptore Aristotele lib. 2. de Cælo cap. 7. In simplici enim corpore partes ejusdem sunt naturæ cum toto : Ab ea enim secta, quæ stellas extra calum factas, & postea in cælis collocatas somniavit, hæc divertimur. Tantis verò Lumen, omnium in mundo qualitatum excellentissima, passim à Sapientibus ornatur laudibus, quantis ferè alia qualitas nulla. Lumen enim actum purum esse ab actu divinæ mentis per cuncta diffusum, scripsit ex sententia Iamblichi & Phænicum Iulianus Academicus. Ambrosius Lumen primam mundi gratiam appellat, quæ tanquam aurea veste circumfundatur. Ac luminis quidem summa præstantia in eo cernitur, quod calorem facit omnis præstantia, si quæ in mortalibus rebus inest, auctorem & conservatorem. Immò anne pulchritudo omnis in coloris suavitate, & partium proportionem cernitur ? Certè si lumen non esset, quæ vel color, vel ulla partium congruentia in rebus visu deprehenderetur ?

Non

2 Non ¶ incommode igitur an ipsum quoque Lumen visu deprehendatur  
inquirimus. Bre-vibus vero quasitum expediemus, & quidem distinctione  
unica, dicentes: Visibile duplex, vel ut Quo, vel ut Quod. Visibile ut Quod,  
quia visum directe terminat, proprie visibile dicitur, estque nihil aliud quam  
color, sub quo & lux comprehendi videtur, nam & in hac visum termina-  
ri videmus, ipsaque tanquam albedo visu percipi videtur, teste Aristotele in  
lib. de sensu & sensilib. & 1. Meteor. c. 4. Omne autem visibile color,  
teste eodem lib. 2. de anim. c. de visu. Visibile vero ut Quo, quoniam  
per se visum non movet, sed ipsum ratio est visibilitatis colorum, improprie  
visibile dicitur, atque ejusmodi est lumen a luce in perspicuo productum.

3 En ¶ habes omne questionis negotium: Visibile enim Lumen non ut  
Quod, sed ut Quo; non per se, sed per accidens, nimirum per visionem colo-  
rum hos enim cum videmus, medium perspicuum illuminatum quoque & co-  
loratum judicamus. Inquis; Recipitur tamen in corpore terminato Lu-  
men etiam visibile ut Quod? At non quia Lumen, sed quia coloris rationem  
subiens siquidem cum colore corporis recipientis movet organum visus, tan-  
quam color unus ex utroque conflatus. Ita res habet.

## Q U Æ S T I O V I I I .

### Quomodo in nobis scientia producatur.

2 Scientia ¶ quies τῆς διαύσιας est, scientem enim stare facit,  
id est, ἀμείνων τῶν ἐπιπέδων efficit. Arist. 1. post. cont. 17. & 7. acroas.  
cont. 20. Themist. lib. 6. Phys. cont. 67. Ergo acquisitio scientie men-  
tis ad istam quietem profectio est. Arist. dict. 7. acroas. cont. 70. &  
Fortunatus Crellius in ejusdem comment. pag. 308. Dari enim sci-  
entiam nobis est in claro, siquidem naturaliter homo non ad opinionem seu  
pendulum assensum, sed ad assensum firmum & immotum fertur, unde A-  
rist. 1. Met. 1. naturaliter, inquit, homo scire desiderat; Scire autem mini-  
me est opinari.

3 Miraris ¶ cur ab Heracliticis scientiam penitus e medio tollentibus  
omnem, aut certe tollere conantibus, secessionem heic faciamus? Quidni fa-  
ceremus, cum suo semet jugulare ipsos videamus gladio. Nam aut scien-  
tiam dari non nesciunt, aut ignorant. Si sciunt, anne scientiam concedunt  
eo ipso, quod hoc ipsum sciunt. Si ignorant, quam ob rem hac in re ipsis adhi-  
beremus fidem? Aut si non datur demonstratio certa, quid laborant, ut de-  
mon-

monstrationibus in suam nos trahant sententiam, ut non dari scientiam nos quoque sciamus?

Dari tamen igitur scientiam nobis (uti dictum) in claro; at quoniam ea in nobis producat modo, adhuc in obscuro: ut tamen et ipsum fiat clarum et perspicuum, nunc laborandum nobis. In Platonis si jurassemus sententiam, nullum in acquirenda scientia laborem esse diceremus; Is enim quia animas ab aeterno ex primo opifice, ex quo nil nisi perfectum prodire potest, manasse arbitratus est, omni quoque scientiam, quippe ultimam animarum perfectione, decoratas illas existimavit, praeditasque corpori vero intrusas, et prope campum oblivionis negligentiaeque flumen collocatas, rerum dememisci omnium; extrinsecus vero excitas reminisci earundem.

Nos tamen quamvis in scientiae in nobis productione excitatione opus esse non negemus, in eo tamen facere cum Platone non possumus, quod excitationem illam meram reminiscentiam esse, animasque antequam cum corporibus jungerentur, perfectam a Deo rerum omnium scientiam adeptas, cuius corporibus illae junctae obliuiscerentur, existimet. Si enim scientia omnis in nobis produceretur reminiscendo, quid opus esset demonstratione? Siquidem et signa et alia consimilia media parem demonstrationi parerent scientiam; aequae enim nos ducerent ad id cuius obliuiscimus, velut et venit dum prioris scientiae obliuioni traditae per aliquod signum reminiscimur, atque sic nulla in scientia acquirenda difficultas, quam tamen nos cum Socrate, hoc unum se scire, quod nihil sciat, dicente, deprehendimus maximam. Qua ratione recte sanem reminiscentiam Platoniam evertit Strato Lampfacenus. Quin et qui reminiscitur, rem illam novisse prius animadvertit; Quam multa vero addiscimus, quae prius ignorasse sentimus? Verum error Platonis forte inde, quod non hominem, sed animam esse illam, quae sciat, addiscat, et intelligat, opinatus fuerit; Quae opinio falsa arguitur inde, quod actiones compositorum et totius perfecti sint. τὸ δὲ λέγειν ἄριστοτελες διδάσκει τὴν ψυχὴν, ὁμοίον καὶ εἶπὶ λέγειν ψυχὴν ὑφαινεῖν, ἢ οὐκ ὁμοίον. βέλτιον γὰρ ἴσως μὴ λέγειν τὴν ψυχὴν ἐλεεῖν, ἢ μανθάνειν, ἢ ἀγνοεῖσθαι, ἀλλὰ τὸν ἀνθρώπου τῆ ψυχῆ. id est, dicere autem irasci animam, simile est ac si quis dicat eam texere vel aedificare, melius enim fortassis est non dicere animam misereri, aut addiscere, aut cogitari, sed hominem animam.

Sed tamen hoc ipso nondum satisfactum ζητήματι nostro. Modus igitur, quo scientiam in nobis produci dicimus, ejusmodi est: Sensilia externa ob-

D

lata



lata nobis organum sentiendi per partem corpoream afficiunt, affectionem hanc formans animæ facultas puriorem ac spiritaliorem reddit, promendo idolum rationis: hoc ipso excitata ratio facultatis animæ utentis, per rationem illi sensibili respondentem, iudicium de eo profert, objecta similia reliqua per hoc unicum cognoscit, cum illo confert, de quibus iis secundum illud fert iudicium. Idola vero per iudicium ejusmodi actu reddita, relictis sensibus externis ad interna sese deferunt, delata redduntur puriora, per quæ superioris ordinis simulachris illis respondentes rationes subiiciuntur examini iudicii majoris, & ad gradum cognitionis eleuantur sublimiorem; Insinuant enim sese primo sensui communi, externorum velut centro; accedit imaginandi vis duplex, assimilatrix nempe ab externis communi quæ oblata sensu apprehendens; & phantastica, ulteriorem de iis notionem formans, immò pro ratione objecti vel boni, vel mali, grati vel aduersi, idola nova superaddens; sequitur imaginationem fides, ex qua uirgæ consurgit dein opinio. A secundo hoc gradu, sensibus nimirum internis, ad tertium, ad rationem nempe cogitationem quæ fit ascensus, ubi ultimam cogitatio, fides & opinio, internis quippe leuiter inherentes sensibus, perfectionem adipiscuntur, & oritur scientia. Hinc tandem anima per rationem ad mentem eleuata cum ideis jungitur, iuncta intelligentem scientiam, scientem quæ nanciscitur intelligentiam.

6 Atque hæc ratione, hoc quæ in nobis modo progeneratur scientia; ubi tres obseruare gradus licet, quorum primus umbras parit, facit quæ putare nos scire, cum nil sciamus; Secundus patefacit formam participatam, facit quæ nos percipere, quod non scimus; tertius parit formam principem, sublimem quæ scientiam ac sapientiam. Tribus namque modis rationibus sibi inditis utitur anima, primo ad externa prodiens format imagines objecto congruentes; deinde in se rediens cogitando aliquod de objecto per simile fert iudicium; tertio ad supera conuersa, cum ideis mentis sese sociando principiorum & causarum fit particeps. Atque in hac ultima connectione animæ apprimè salutari, tanquam per reditum ejus in suum principium, suamque naturalem constitutionem, anima incomparabili quodam perfunditur gaudio, ac postrema donatur perfectione. Videatur Piccol. gr. 5. c. 29.

QUÆ-

## Q U Æ S T I O. IX.

### *Musica ad quid conducatur?*

Tam † sancta quosdam nunc temporis incessit religio, tamq̃ religiosa 1  
sanctitas, ut non modo saluationes honestas, sed & omnem e Rebusp. tol-  
lere Musicam satagant. Calviam hanc non injuriã dicere possemus reli-  
gionem, eò quod à calvis ea profecta sit hominibus, calvi hanc amplectun-  
tur, calvi ei adherent, eamq̃ colunt, crepantes subinde antiquum illud:

Non vox, sed votum; non cordula musica, sed cor.

Non clamans, sed amans cantat in aure Dei.

Sed non percipiunt hi, quantas Musica in quovis hominum statu  
creet utilitates, quàm insignes illi comitentur fructus; aut, si percipiunt,  
religionis aut sanctitatis laudẽ estuantes, scire id dissimulant. At faciunt  
hi dissimulando Musicam, ut naturam ipsam dissimulent; Tam arcto enim  
hæc duo conjuncta vinculo Deus, ut neutrum absq̃ altero sine de-  
structione alterius divelli posse videamus.

Et † querimus ex viris istis religiosis, ane Musicam Philosophiæ 2  
partem dent? dent necesse est. Anne hominis naturam & perfectionem  
instauret Philosophia, sciscitamus porro? Sciscitari non solum sumus; sed &  
proba vimus, confirma vimus & tutati fuimus id ipsum contra Philosophi-  
æ hostes satis prolixè, quæst. 1. Disp. 1. cent. 4. Quo igitur jure Musi-  
cæ insigni Philosophiæ parti hanc naturæ instaurandi vim denegaremus?  
praesertim cum partem de natura totius participare videamus. Zab. 1.  
2. de nat. Log. c. 3. Proinde nihil nos nunc dissimulantes, si non omnes,  
(idenim fieri nequit, ne quidem ab illo, cui

Ferrea vox, centum linguæ sunt, oraq; centum.)

saltem quasdam, easq; insigniores Musicæ utilitates nunc recensere cona-  
bimur. Duo namq; Aristoteles 8. polit. c. 5. circa Musicam consideranda  
docet: Primum τὴν ἔχει δύναμιν, quam habeat vim & efficaciam;  
deinde τὸς χάριν διὰ μετέχου αὐτῆς, cujus rei gratiã eam oporteat  
discere & scire. Utrumq; quæstio nostra complectitur.

Triples † verò est teste eodem Arist. 1. d. de fine Musicæ homi- 3  
num opinio, alij enim propter παιδικὴν, id est, oblectationem  
& voluptatem; alij διὰ τὴν ἐν τῇ σχολῇ διὰγωγὴν, seu ut cap. 7.



femet ipse interpretatur διὰ τὴν ἀνεσιν, καὶ τῆς συντομίας ἀνάπαυσιν, id est, ut homines possint habere in ocio honestam à gravioribus & serijs studijs intermissionem & relaxationem; quidam deniq; ποιητικὰ χάρις, h. e. morum conformandorum gratiâ Musicam addiscendam esse autumant. Ad omnia hæc tria utilem eam esse censei Arist. 1. d. his verbis: ἡ μουσικὴ ἐυλόγως εἰς πάντα ταῦτα τὰττεται, καὶ φαίνεται μετέχειν; censemus & nos hoc ipsum cum ipso. Quod verò tribus Musicæ utilitates includat capitibus, de eo nunc dispicendum, splendidissima enim hoc ipso fax questioni apponetur nostræ.

4 Primùm ¶ igitur an ad pariendam voluptatem & delectationem Musica utilis, videndum. Voluptas seu gaudium aliud spirituale, aliud mundanum seu politicum. Ad spirituale gaudium vel creandum vel augendum, ecquid conducit musica? Incredibile sanè dictu quātum ad excitandos ad Dei cultum animos, ad depellendam tristitiam, ad sugandos malos genios, qui furiosos sæpissime cruciant, divina harmonia vim habeat, ita quidem ut Elisæus oraculum coram judææ ac Samariæ regibus editurus, vocatâ ad se Citharistâ, cum suavitate concentus simul numen hauserit. 2. Reg. 3. v. 15. Et Saulem furentem malus genius pulsatâ lyrâ deseruerit 1. Sam. 16. v. 23. Unde Regius Prophetâ David subinde jubet laudare Deum in cithara, Psalterio, tympano, organo, in chordis & cymbalis bene sonantibus; unicam saltem Psalmum 150. inspicendum proponimus. Apost. Paulus Colofs. 3. v. 16. Commonete, ait, vos invicem cantionibus & laudibus, & cantilenis spiritualibus, cum gratia canentes in corde vestro Domino.

5 Nec ¶ ex sacris modò hoc ipsum constat, maximum nempe in laudando Deo, & celebrandis ejus operibus atq; beneficijs, in excitandis item, erigendis & solandis perturbatorum animis musices esse usum; Sed & ex Ethnicorum historijs, & Poetarum hymnis, ut Orphei & Homeri aliorumq; Lyricorum odis, si demonstratum cuperes, demonstraremus. Immodò Coryphæus noster Aristoteles maximam Musicæ vim manifestè ἐκ τῶν ἱερῶν μελῶν, ὅταν χηρήσονται τοῖς ἐξοργιάζουσι μέλεσιν ὡσπερ ἰατρείαις, hoc est, ex cantionibus sacris, quibus utuntur tanquam medicamentis ad expiandos & expurgandos animos hominum, conspici posse affirmat 2. Polit. c. 7. Quamvis Ethnicos ad verum illud spirituale & internum gaudium pervenire haut potuisse, non eamus inficias.

6 Ad mundanum ¶ & politicum illud gaudium ciendum (nec enim  
omnis

*omnis voluptas mundana φάλη mala & in vitio ponenda Arist. 7. Eth. c. 12. & 13.) mirum quoque quantum conferat Musica: hanc ipsam enim ob causam nempe ως δυναμένην εὐφραίνειν, homines in convivijis & jucundis congressibus, animi recreandi gratiā institutis & susceptis, adhibere Musicam solent. Unde Musæus Poeta vetustissimus ἠδίστον βροτοῖς εἶναι ἀείδειν, mortalibus jucundissimum esse canere, dixit. Et Musicam animi curas & tristitiam pellere Euripides. Arist. 8. polit. c. 5. Et certè quod solatium in miseris majus, quod Pharmacum in morbis melius est harmoniā, quā omnium malorum tædium aut omnino tollitur, aut lenitum toleratur facile. Musicā solum quamplurimos febribus aestuantes liberasse dicitur Ismenias ille Thebanus. Musicā dementatum ad sobrium ingenium revocavit Empedoces. Et Bodinus, quos ad septentrionem, inquit, furor invadit, hi assiduò aut rident, aut saltant, qui morbus D. Viti appellatur à Germanis. Curatur autem fidibus & cantu primum incitato, deinde sedato; ab alienatos enim sensus Musica revocat. Bodin. lib. 5. de Rep. c. 1.*

Sed † ad recreationem seu relaxationem, haut videtur facere Musica. 7. Est enim relaxatio fessorum à laboribus & curis jucunda cessatio, seu negotiorum intermissio; At in canendo, pulsandis chordis, movendis & fidibus maximus labor? Labor ille quidem, at ejusmodi, quem non facile insequitur de lassatio, quippe in quo summa deprehenditur voluptas; Voluptas verò bonum quoddam, Arist. 10. Eth. c. 3. at bonum & finis ἀντίσποφα; acquisito verò sine quiescimus. 1. de gener. c. 7. Quies igitur etiam in harmonia suavissima. Quod ipsum testatur etiam Aristoteles, quando eandem in recreandis animis hominum post labores vim musicæ adscribit, quam habet Somnus & largior vini potus, ipsa quoque ἀνάπαυσις, quies: At omnia hac sunt velut ἰατρικὴ τῆς λύπης, ἢ διὰ τῶν πόνων, medicina contra molestias, quæ ex laboribus solent percipi. Arist. 8. polit. c. 5. Ergo & Musica.

Sed † ad tertium Musicæ finem nunc nos demus, hic enim reliquis τυπώρετος; siquidem ad permovendos, flectendos atque excitandos hominū ad virtutis honestarumque actionum amorem animos, & ad vitiorum & turpium actionum odium propriè spectat; voluptatis enim sensus hominum cum quibusdam bestiis communis, Arist. 1. Eth. c. 5. quia æquè ac homo cantus dulcedine flectuntur. Cic. in orat. pro Arch. Et Elephantes & equos sonitu tubarum incitari, & ad bellum atque pugnam animari vidimus; Delphines &



phines q̄ ad Arionem cum citharâ lusisset, congregatos legimus. Sed mores  
ad virtutem componere, id verò homini proprium. Quantam verò Mu-  
sica ad institutionem, & ad informandos mores, excitandosq̄ hominum  
ᾠδὸς τὴν ἀρετὴν, καὶ τὰς ἡλικίας πρᾶξις animos vim habeat, divi-  
nus ille Plato in Timæo patefecit, eo ipso quod duabus potissimum rebus ci-  
vitates conservari dixit, γυμνασικὴ καὶ μουσικὴ, Resq̄ publicas  
conturbari & occidere, cum sua vitæ illius quæ ab harmonia existit, con-  
centus interrumpitur, aut violatur, scripsit lib. 3. de Rep. à qua sententia  
nec eloquentiæ Magister Cicero alienus: In lib. enim 2. de ll. assentior,  
inquit ille, Platoni, nihil tam facile in animos teneros atq̄ molles in-  
fluere, quam varios canendi sonos, quorum vix dici potest, quanta sit  
vis in utramq̄ partem. Musica namq̄ & incitat languentes, & langue-  
facit incitatos, Et tum remittit animos, tum contrahit: civitatumq̄ multa-  
rum in Græcia hoc interfuit, antiquum vocum servare modum, quarum  
mores lapsi ad mollitiem pariter sunt immutati cum cantibus, aut hac dul-  
cedine corruptelaq̄ depravati. Atq̄ huius rei memorabile exemplum habe-  
mus de Republ. Cynæthensium Arcadiæ populorum; hi enim neglectis ca-  
nendi legibus urbanitatem ac humanitatem cum feritate commutarunt, &  
gravissimis bellorum civilium fluctibus tam diu jactati sunt, quò ad Reip.  
ac civium interitus sequeretur. Polyb. lib. 4. hist. Hinc Arcadiæ reges,  
cum accolæ montium vix armis & imperio exercere possent, ad studia  
Musices maximis propositis præmiis impulerunt: indictâ gravi pœnâ qui  
Musica studia deseruisset, ut feritatem ac barbariem sensim deponerent, &  
recte: Quemadmodum enim fera animantia solent à mansuetariis unguibus  
ac dentibus detractis ex armari; sic etiam melodiarum suavitas hominum  
ferocium & crudelium animos, feritate detractâ, multò efficiunt mitiores  
ac tractabiliores, id quod Gallis contigisse scribit Bodinus lib. 4. de Repub.  
c. 2. Multosq̄ alios populos qui Musicæ suavissima oblectatione mentem la-  
boribus delassatam delectant ac pascunt, humanissimos esse videmus: Man-  
suescunt enim & feritatem sensim amittunt populi quibus à militia vaca-  
tio datur, qui otio ac tranquillitate fruuntur; ac potissimum ij qui disciplina-  
rum studio ac Musices assuescunt, ait Bodinus lib. 4. de Rep. c. 2. Et Piccol.  
g. 10. c. 33. Non parum, inquit, confert pro recta appetitionum con-  
formatione Musica. Pythagoras concitatos juvenes ad vim pudicitie  
familie inferendam mutatis in spondæum lyre modulis compressisse fertur.  
Grachus notante Patricio dulcissimâ hac Musicâ usus, populum Romanum  
sapissimè ad suam voluntatem flexit. Ut enim magnetes quidam ferrum  
attrahunt:



attrahunt: at the amedes, qui in Æthiopia nascitur, ferrum abigit, respuit q̄:  
ita est Musices genus, quod sedet affectus; est quod incitet. Erasmus. Pro-  
inde haut male scripsit ille qui Musicam sic de se ipsa versibus loquentē finxit:

Vinco, flecto, rego cantu, dulcedine, plectro,  
Dira, cruenta, feros, tartara, monstra, viros,  
Languentes relevo, morituros excito, mœstos  
Erigo, pallentes munio, vinco DEOS.

Vincis † equidem, & paulò amplius addam præ cæteris Musis verè  
triumphas: das enim gaudium si simus tristes, das quietem si furus fessi-  
mores si simus mali; sapientiam si simus ignari; libertatem ab affectibus si  
simus sceleribus mancipati, medicinam si morbo correpti: Tristes enim gau-  
dio perfundis, defessos recreas, nec vos animi ad virtutis concentum tendis,  
& veluti ab affectibus malè sonantibus ad morum concinnitatem & har-  
moniam flectis, ignaros doces, otiosos & segnes ad studium pietatis trahis,  
morbos tollis; & quod ferè silentio involvissem, Musica animos hominum  
in vicem quasi conglutinat, ut diu in Rebusq̄. beate q̄ vivere in concordia pos-  
sint. Musica.

Æquè pauperibus prodest, locupletibus æquè,  
Æquè neglecta hæc pueris senibusq̄; nocebit.

Adolescentiam enī alit, senectutem oblectat, secundas res ornat, ad-versis  
per fugium ac solatium præbet, delectat domi, non impedit foris, pernoctat  
nobiscum, peregrinatur, rusticatur. Quod si ipsi hanc neq̄ attingere, neq̄ sen-  
su nostro gustare possemus; tamen eam mirari deberemus, etiam cum in aliis  
videremus. ex Orat. Cic. pro Arch. Etenim qui huic sese dat,  
is plurima felix

Paulatim vitia atq̄; errores exuit omnes.

Juvenal.

proinde

petite hinc juvenesq̄; senesq̄;

Finem animo certum, miserisq̄; viatica canis.

Et si congruentem animum à perturbationibus purgare studetis, salem ad-  
hibete, cantuq̄ ad lyram utimini juxta Symb. Pythag. Piccol. grad. 10. c. 33.

## Q U Æ S T I O X.

An αὐτοχρεία sit licita?

Stamus † pro negativa, quam unico tutabimur syllogismo, & I  
quidem ejusmodi: Quicquid impingit in jus divinum, naturale, civile, in  
rectam rationem & saniorum philosophorum decreta, id minimè licitum.  
At αὐτοχρεία impingit in hæc omnia. Ergo haut licita.  
Majoris

Majori, quippe quæ sua semet sustentat basi, relicta, ad minoris confirma-  
tionem nos dabimus, in qua etiam totius hujus versari videtur cardo que-  
stionis.

2 Impingere † verò ἀυτοχρησίαν 1 In scripturam sacram seu jus divi-  
num, probatū damus tū ex veteri, tum ex novo Testamento; illo quidē Exod.  
21. v. 13. Deut. 5. v. 17. hoc verò Matth. 5. v. 21. Vbiq; hic præcipitur  
Non occides. Non occides verò hic à Deo dictum: nsc alterum, ergo  
nec te: neq; enim aliud occidit, quàm hominem, qui se occidit. August. 1.  
de Civit. Dei.

3 II. Impingere † in jus naturale inde sat manifestum, quod natura  
semper appetat conservationem sui, & nunquam tendat in non esse. Co-  
nimbr. in lib. 1. de cælo. q. 1. de art. 1. naturaliter enim amat seipsam, &  
resistit corruptentibus. Thomas secun. sec. q. 64. art. 5. Melius quippe est  
esse, immò miserum esse præstat, quàm non esse penitus, qua propter & bea-  
ti & miseri appetunt esse, considerant enim quantum bonum sit esse. Ex  
Augustin. lib. de libero Arb.

4 III. Contrariatur † juri civili: honestè enim vivere hoc ipsum jubet.  
§ juris præcepta. 3. Inst. de Inst. & jur. Honestè verò vivere virtuti con-  
gruenter vivere est. Arist. 1. Eth. c. 8. Αὐτόχρησις autem non  
juxta, sed contra virtutis præscriptum vivunt; discedant enim à medio-  
critate illa, quæ est inter timorem & audaciam, quam tamen servandam  
esse monet princeps virtutum Fortitudo. Arist. 3. Eth. c. 6. Immò cum nec  
honestatis, aut publicæ utilitatis gratiâ morti sese tradant, sed Reipub. in-  
juriam inferunt, dum civi illam spoliant, Arist. 5. Eth. c. 4. rectè quoq;  
Aristoteles fortitudinis laudem illis derogat 3. Eth. c. 7. Deinde jus civile  
(uti & jus divinum Levit. 24. 27. Num. 35. v. 16. 31.) severissimè in  
homicidas animadvertendum esse præcipit. § Item lex Cornelia 5. Inst.  
de publ. judic. ita quidem ut etiam cogitatio de morte inferenda capitali  
pena plectenda censeatur à Dd. in l. cogitationis de pœnis, & in l. si  
quis non dicam rapere de sacros. Eccl. c. At ἀυτοχρησίς ho-  
micidium committunt d. l. si quis 28. in fin. de pœnis. Unde etiam manus  
sibi violentas inferentis, cum mors sequatur, ( licet de pena quæri non pos-  
sit ) cada ver sub furca sepeliendum esse rectè præcipit l. 1. & l. ult. de his  
qui sibi mortem. l. 1. c. h. t. Ordinat. Imp. cap. 35. Quod si mors non se-  
quatur, siquidem ex conscientia sceleris sibi mortem inferre tentavit, pena  
mortis adhuc locum habet. Clarus quæst. 68. num. 37. lib. 5. § fin.  
Ignò & plato censuit cada vera illorum ignominia afficienda, neq; honestè  
sepelienda

sepelienda. Et Athenienses cum sibi quis manu mortem consciuisset, defun-  
cti cadaueri manum tanquam facinorosam abscindebant, eamq; à corpore  
diuisam inhumatam relinquebant. Et cum Milesias virgines repente sine  
ulla euidenti causa voluntas cepisset obeunda mortis, ac deinde plurimæ  
vitæ suspendio amisissent, Milesii ut malo huic mederentur, decreuerunt, ut  
quæ corporibus suspensis demortuæ forent, nude cum eodem laqueo efferren-  
tur. Plutarchus.

Adversatur † etiam sanæ rationi: nunquam enim hæc, & nusquam  
desperationem præscribit; Desperatio enim certa mors est. Ambros. super  
Lucam. lib. 2. Mors autem nedum malum est, sed & malorum omnium  
maximè formidabile malum. Arist. 3. Eth. c. 6. Non solum enim omnibus  
hominem spoliatur bonis; sed & spem, quæ in cæteris unicum est solatium ma-  
lis, adimit omnem: Nam ἐλπίδες ἐν ζώοισιν, ἀνέλπιστοι δὲ θένοντες,

Spes est in vivis, non est spes ulla sepultis.

Ratio verò cum voluntate nunquam fertur ad malum. Arist. 3. Eth.  
cap. 4.

Discedit † à saniorum Philosophorum decretis: Sic enim Philolaus &  
Pythagoreus; Ne divides, inquit in via lignum, hoc est, ne animam se-  
cernas à corpore in vitæ cursu. Vir bonus ac sapiens non fugere debet è vi-  
ta, sed exire. Seneca epist. 24. Cum enim anima sit nobis à Diis in custodia  
tributa, nemo per vim eam extrudere debet. Plato in Phædone. Nulli  
hominum licet ex hac vita migrare injussu Dei. Sumus enim hic omnes  
velut in acie, loco unicuiq; suo ab imperatore Deo assignato: majoriq; sup-  
plicio afficiendus est desertor vitæ, quàm desertor militiæ. Idem ibid. Non  
enim recipit Deus animas, quæ in vito Domino exierunt è corporibus. Hiero-  
nymus. Retinendus ergo in corpore animus, nec injussu ejus, à quo ille  
nobis est datus, ex hominum vita migrandum est, ne onus assignatum à  
Deo effugisse videamur. Cic. in Som. Scip.

Atq; † hæc nostra quidem est de αὐτόχειρι sententiola, cui  
nec Samson Judic. 13. vers. 30, nec Razia 2. Maccab. 14. nec Cato ille Uti-  
censis Valer. Max. lib. 3. c. 2. nec Vibius & 27 senatores Romani, Liv. libr.  
26. nec Lucretia, idem libr. 1. nec Pyramus & Thisbe Ovid. 4. Metam.  
nec αὐτόχειρες alii infiniti quicquam derogant. Ad Samsonem enim  
quod attinet, occultâ ipsum Spiritus sancti inspiratione mortem sibi conscisse  
verisimile est, siquidem typus erat Christi, qui moriendo destruere mortem  
debebat. In quam sententiam Augustinus lib. 1. de Civ. D. c. 21. Sam-  
son, inquit, excusatur, quod se ipsum cum hostibus ruinâ domus op-  
prellit,

E

prellit,


pressit, quia Spiritus latenter hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat. *Et quemadmodum Magistratus hostium petulantiam legitimo bello vindicans non peccat, periculo mortis sese exponendo: ita nec Samson, qui publicæ à Deo vindictæ habuit mandatum. Jud. 13. vers. 5. Ad Raziam respondemus, laudari illum quidem in sacris, quod ipse sibi mortem intulerit, fortitudinis laude, sed in ejusmodi libro, cui tanta non est adhibenda fides, quanta quidem libris canonicis. Proinde hunc eundem in locum cum sequentibus collocantes, respondemus generaliter & Laconicè, laudari hos quidem omnes à scriptoribus Ethnicis de factò quidem, sed non de jure; de hoc verò, & non de illo quæstio. Historia autem gentium ita solet suos viros fortes laudare, non verò ita Ecclesia martyres Christi, inquit Augustinus contra Gaudent. libr. 2. c. 24. adde magnum illum Theolog. Martin.*

*Chemnit. part. 2. loc. Theol. p. 191.*

*Anchora de prora jacitur, stant littore puppes.*

FINIS DISPUTATIONIS SE-  
CUNDAE.









56

*D. O. M. A.*  
DISPUTATIO II.  
Centuriæ Quintæ

**QUÆSTIONUM**  
**ILLUSTRIUM**  
Philosophicarum,  
*In Inclytâ VVittebergensi Academiâ*  
*Publicè*

Proposita  
PRÆSIDE  
**M. Jacobo Martini**  
Logices Profefs. Publ.  
RESPONDENTE  
**Theodoro Bergman /**  
Hildefiâ - Saxone  
*Ad diem 14. Maij in auditorio Collegij*  
*veteris.*

---

WITEBERGÆ,  
*Typis Martini Henckelij Anno*  
*M. DC. VIII.*

